DE AVTORITATE ET POTESTATE Generalis Concilij.

TESTIMONIA XXX solida ac merito irrefragabilia in quintuplici Differentia.



CONFVTATIO XXX PROPOsitionum quæ Vuittenbergæ disputatæ sunt.

LXX. PROPOSITIONES pro Conciliorum Generalium Autoritate.

PER IOHANNEM COCHLAEum Canonicum Vratislaniensem.

M. D. XLV.

REVEREN-
DISSIMO IN CHRI
STO PATRI, ILLVSTRISSIMO
Principi ac Domino, Domino Christophoro, S.R.E. Cardinali, Episcopo Tridentino, & Administratori Brixinensi &c. Domino suo Clementiss.

S. P. D.



Euerendissime Pater, Præsul ac Princeps Illustriss. Clementissimeq; Domine, ac Patrone perpetuo memorande, Si benignissimã Gratiæ tuæ uocationẽ (quam Reuerendiss. & Illustriss. Celsitudo tua mihi propria sponte ac ultronea largitate, ante annos Quinq; obtulit Hagenoiæ) prudenti consilio sequutus fuissem: iam pridem Canonicus essem in Celebri & sancta Ecclesia tua Tridentina, nec opus esset mihi nunc quærere Tridenti, tanquã peregrino & aduenæ hospitium, sed stabilis ac fixus essem domus propriæ (si qua res mihi propria dici queat) in fœlici ac præclara illa ciuitate tua inhabitator, & uiuerem domi inter libros

mihi notos & usitatos, sicut ipse uelim, ubi liceret mihi libere uocare ad me quoslibet amicos, siue ad colloquia mutuæ dilectionis & amicæ pro inquirenda ueritate disputationis, siue ad frugale prandiolum aut ad mutos in Bibliotheca mea magistros. Sed infœlix ego, etsi meopte desyderio cupiebam eam fortunam & Pietatis tuæ innatæ (quam nulla in te merita mea præcesserant) beneficentiam summa cum gratiarum actione amplecti, aliorum tamen consilia sequutus, tam optabilem fœlicitatem è manibus dimisi. Dicebat inter cæteros Reuerendus, pius & eruditus Dominus, Iohannes faber, Episcopus Vienensis, fœlicis & claræ memoriæ, Si Tridentum migraueris Cochlee, uix bene finitis sex mensibus mortuus breui nobis denunciaberis epistolio, quia aëri illi assuetus non es, Romanæ igitur potius apud nos, quia Ecclesia magis hic in Germania aduersus hæreticos, quàm Tridenti (ubi nihil possunt hæretici) tuam requirit operam. Ne uero tam piæ ac ultro mihi oblatæ beneficentiæ tuæ uideat immemor aut oblitus, eam hoc breui libello, toti Concilio Generali (quod Tridenti nunc fœliciter congregatum celebratur) notam ac testatam facere satago.

165

Quem sane libellū Germanice scripsi ac euulgaui ante annos Octo, nunc uero raptim à me uersum latine propter Externas Nationes, ædendū Typographo, affini meo, Moguntiam transmitto, ut tardiorem meam ad Concilium profectionem utcunq; faciat excusatam. Bene ualeat Celsitudo & Amplitudo tua eminentißima. Reuerendißime ac Illustrißime Princeps ac Domine, hocq; meum qualecunq; gratificandi studium, & grati animi testimonium, clementißime in bonum accipiat. Ex Eystet ciuitate, Quarto Nonas septembris, Anno Domini M. D. XLV.

E.R.& Ill. Cels. t.

Deuotißime addictus Clientulus.

Iohannes Cochlæus.

AD LECTOREM PRAEMONITIO.



I uerus es Christianus, ô lector, & ullã in te habes scintillã ueræ dilectionis erga Deum & proximum, facile cognoscis, quidnam intendant Nonæ sectæ, quæ Generale Concilium, contra omnem scripturam & contra ius omne contemnunt, propter hoc unum, quod superbe inflati: nemini cedere aut obedire dignãtur, timentes, ne per spiritum sanctum in Generali Concilio restituatur nobis Generalis pax & cõcordia, per quam ipsi sectarum Duces nomen autoritatemq; suam possint amittere: si sectatores eorum hodierni dicerentur, non amplius Lutherani aut Zuingliani

aut

aut Anabaptistæ, sed simpliciter Christiani, sicut antea. Hoc ferre non possunt, sed remanere potius ac emori malunt in perpetuo dissidio ac schismate, summo cum exitio infœliciū animarum suarum, atq; essent corporū tandem suorum, quæ una cum animabus ipsorum æternis addicentur cruciatibus Inferni. Vsq; adeo cæco tenentur amore uanæ gloriæ nominis sui, ut apud complices & asseclas suos illud retineant, etiam si toti Germaniæ ob hoc pereundum sit. Rebelles hactenus fuerunt Ordinarijs Potestatibus suis Ecclesiasticis, temeritate propria, quas contra Paulum & omnia iura contemnunt, Restiterunt item & Ro. Imperatori & summo Pontifici, eorum mandata, Iurisdictiones, commissionesq; & iudicia flocci facientes. Si ergo liceat eis nunc Generale quoq; Concilium contemnere, quę unquam poterit reparari pax aut concordia, si

nullus iudicio suæ discordiæ causam submittere uolunt? Hæc expende pie lector & cogita, eos, si bonam haberent causam, nequaquam fugituros esse lucem Generalis Concilij, quo nullus est in terris Iudex maior certiorq; & celebrior.

IN XXX TESTImonia Præfatio.

QVanquã Principes & status, Lutheri sectæ adhærentes, in plærisq; Conuentibus Imperij publice & desyderarunt & appellauerunt Generale Concilium: non erubescunt tamen Lutherus & complices sui, Vuittenbergæ contra Generale Concilium publice & disputare & scribere. Vnde intelligi potest, Lutheranos nunquam ex animo & serio Conciliũ desyderasse, Lutherus enim semper illud recusauit, Præsertim cum esset Vormatiæ constitutus. Vbi neq;

Anno 1521.

Cæsar

Cæſar ipſe, neq; ulli Principes aut ſta-tus ei perſuadere potuerunt, at uel cau ſam ſuam futuro Concilio Generali committeret, aut ſcripta ſua illius iudi-cio ſubmitteret. Quin immo ſacrum Concilium, Conſtantiæ celebratum (cui tamen ſe Tres inter ſeſe diſcordes Pontifices ſubmiſerunt) atrociſsime inſectatus eſt, atq; adeo Concilia uni-uerſa proprio iudicio ſuo ſubiecit, ac inter eos articulos ſuos, quos LEO Papa Decimus damnauit, unum po-ſuit aſſeruitq;, cuius hæc ſunt uerba.

Via nobis facta eſt eneruandi au-toritatem Conciliorum, & libere con tradicendi eorum geſtis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confi-tendi quicquid uerum uidetur, ſiue probatum ſiue reprobatum fuerit à quocunq; Concilio. *Luth. In aſſertione art. 29.*

Hunc autem alioſq; Lutheri articu los, à prædicto Leone damnatos, ua-lidiſsime ſcripturis & rationibus con-

Episcopus Roffensis.

futauit sanctissimus & Doctissimus uir, Iohannes Fischerus, Episcopus quondam Roffensis in Anglia, Insignis nostris temporibus propter ueritatem Martyr Christi, Qui hunc Lutheri articulum pro omnium pestilentissimo habuit, sic dicens. Non potest quisquam articulus hoc uno pestilentior excogitari. Tollit enim uniuersũ totius Ecclesiæ robur, sed & animos Christianorum prorsus incertos reddit, cui potissimum credere debeant. Nam si Generali (inquit) Concilio secure credi non posset, cuius erit autoritati credendum?

Non miror igitur, Lutherum nunc xxx. propositiones contra Generalium Conciliorum autoritatem Vuittenbergæ disputare ac in publicum euulgare, cum id antea quoq; non raro fœcerit. Miror autem, quo nam animo & qua fronte ad futurum Concilium publice appellauerint sectatores

eius, qui non ignorabant, quid de eo sentiret Lutherus. Nec minus miror patienter hæc ferri in Ro. Imperio, Cum Conciliorum autoritas tam multa, eaq; clarissima, habeat testimonia, non solum in sacris literis utriusq; Testamenti, uerum essent in Legibus Imperialibus, Quorum nonnulla breuiter commemorabo, antequam dictas Lutheri propositiones xxx confutare aggrediar.

SEX TESTIMONIA

pro Conciliorum autoritate ex Veteri Testamento.

PRimum, Ex Deuteromio sumptum sic habet. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinẽ & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram. Et iudicum intra portas tuas uideris uerba uariari, surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus Deut, 17.

Deus tuus, Veniesq; ad sacerdotes Leuitici generis, et ad Iudicem qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis: qui indicabunt tibi iudicij ueritatem, & facies quodcũq; dixerint qui præsunt loco, quem elegerit dominus.

Secundum. Ex libro Iudicum, ubi contra Gabaonitarum scelus publice consultatum fuisse narratur, in hęc uerba. Egressi itaq; sunt omnes filij Israel, & pariter congregati, quasi uir unus, de Dan usq; Bersabæ & terra Galaad, ad dominũ in Maspha, omnes quoq; anguli populorum, & cunctæ tribus Israël, in Ecclesiam populi Dei conuenerunt Quadringenta milia peditum pungnatorum. Et post pauca. Adestis omnes filij Israël, decernite quid facere debeatis, Stansq; omnis populus, & quasi unius hominis sermone respondit. Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum, sed hoc contra Gabaa in

Iud.20.

commune

commune faciemus.

Tertium. Ex secundo libro Regũ, vbi sic legitur. Et uenerunt uniuersæ tribus Israel ad Dauid in Hebron, dicentes. Ecce nos os tuum & caro tua sumus. Et infra. Venerunt quoq; & seniores Israel ad Regem in Hebron, & percussit cum eis Rex Dauid fœdus in Hebron corã Domino, unxeruntq; Dauid in Regem super Israel. 2. Reg. 5

Quartum. Ex altero libro Paralipomenon, de religiosissimo Rege Iosia, qui post inuentum per Helchiam sacerdotem librum legis Domini, conuocatis uniuersis maioribus natu Iuda & Hierusalẽ, ascendit in domum Domini, unaq; omnes uiri Iuda & habitatores Hierusalem, sacerdotes & Leuitæ, & cunctus populus à minimo usq; ad maximum, Quibus audientibus in domo Domini legit Rex omnia uerba uoluminis. Et stans in tribunali suo, percussit fœdus coram Domino. 2. Par. 34

Quintum

1. Esd. 10. Quintum. Ex Esdræ libro primo, Vbi Esdras congregato in unum populo persuasit autoritate legis, dimittere uxores alienigenas. Dixerunt itaq; post multum pœnitentiæ fletum ad eum filij Israël per os Secheniæ. Nos preuarificati sumus in Deũ nostrũ, & duximus uxores alienigenas de populis terræ. Et nunc si est pœnitentia in Israel super hoc. Percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, ut proijciamus uniuersas uxores & eos qui de his nati sunt, Iuxta uoluntatem Domini & eorum qui tenent præceptum Domini Dei nostri, secundũ legẽ fiat. Surge, tuum est discernere, nosq; erimus tecum. Confortare & fac. Surrexit ergo Esdras, & adiurauit Principes sacerdotum & Leuitarum & omnem Israel, ut facerent secundum uerbum hoc, & iurauerunt.

Sextũ. Ex Psalmis Dauid. Sic enim ait in Psalmo 34. Confitebor tibi Domine

mine in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te. Item. In Psalmo 88. Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine, etenim ueritatem tuam in Ecclesia sanctorum. Deus qui glorificatur in consilio sanctorum. Et in Psalmo CX. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio iustorum & congregatione.

Veritas quærenda in Concilijs.

Huiusmodi testimonia complura facile colligi possent ex alijs quoque libris Veteris Testamenti, præsertim ex prophetis, quæ breuitatis gratia hic omittuntur. Nam ex ijs iam adductis quilibet intelligere potest, non contemnendam esse Conciliorum autoritatem, quæ in magnis Ecclesiæ causis & negocijs, recte discernendis ac stabiliterr definiendis, plurimum habet momenti. Non enim à casu, ut Lutherus male disputat, sed ex spiritus sancti instinctu discernitur in ijs ueritas, Quemadmodum iam ex Psal. 88. dictum,

ctum est, Veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. Quare huiusmodi congregationum decretis contradicere non licet, sicut supra circa primũ testimonium, In textu legis additum est, sub pœna mortis, ne quis cõtradicat. Neq; ulla habentur exempla scripturę, ubi licuisset alicui eis impune contradicere, sicut nunc impie contradicit plurimis Lutherus.

SEX TESTIMONIA

Ex Nouo Testamento, Pro Conciliorum Autoritate.

Matt. 16. PRimum. Ex Mattheo. Vbi ait Dominus Petro. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam. Quum igitur Christus ipse petra sit, teste Apostolo 1. Cor. 10. Et ipsa met ueritas, sicut ait Io. 14. Ego sum uia ueritas & uita. Non est credendum,

dendum, quod Ecclesia (quam Generale Concilium repræsentat) à ueritate aberret, cum sit supra firmam petram ueritatis ædificata.

Secundum. Ex eodem Matthæo. Vbi sic ait Christus. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Et rursus. Iterum dico uobis, quia si duo ex uobis consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Audienda est igitur Ecclesia in Generali Concilio, quia in nomine Christi sunt ibi multi in unum congregati. Ergo in medio eorũ Christus est. Quapropter non est eis contradicendum, ubi enim Christus est, ibi falsitas aut error locum non habet.

Matt. 18.

Luc. 11.

Tertium. Ex luca. Vbi sic ait Dominus.

nus. Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Et post pauca. Si ergo uos, cũ sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris, quanto magis pater uester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se? Quũ igitur in Generali Concilio semper petatur à patre cœlesti spiritus ueritatis, ad recte credendum & intelligendum, quando ei dicitur in solenni Collecta. Da nobis in eodem spiritu recta sapere: Nequaquam suspicandum est, quod erret huiusmodi Concilium legitime congregatum.

2. Tim. 2. Hoc enim foret cõtra Christi promissionem, qui utiq; non fallit, sed fidelis permanet, quia seipsum negare non potest.

Ioh. 14. Quartum. Ex Iohanne. Vbi rursus ait ipse Dominus. Paraclitus autẽ spiritus sanctus, quem mittet pater in

nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcunque dixero uobis. Pacē relinquo uobis, pacem meā do uobis. Et rursus. Sed ego (inquit) ueritatē dico uobis. Expedit uobis, ut ego uadam. Si enim nō abiero, Paraclitus non ueniet ad uos. Si autem abiero, mittam eum ad uos. Item. Adhuc multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem uenerit ille spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. Hæc ipse Dominus. Aduersus cuius ueritatem impie detrahit Concilijs Lutherus, dicens ea raro, & non nisi à casu, attingere ueritatem. Ioh. 16.

Quintum ex Paulo. Qui etsi multa paßim suis in Epistolis pro Conciliorum autoritate docet, hic tamen amore breuitatis ex Duabus tantum Epistolis allegabitur. Etenim in Epistola ad Ephesios sic ait. Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, Ephes. 1.

quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet.
C.3. Item. Vt innoteſcat (inquit) Principibus & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei, ſecundnm prȩfinitionem ſæculorum.
C.5. Item. Viri diligite uxores ueſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret &c. Hãc igitur erroris aut falſitatis arguere, nihil aliud eſt quam corpus & ſponſam Chriſti diffamare ac meretricem facere, patriq; mendaciorum ſponſam ueritatis copulare. At rectius de ea ſentit in alia quo epiſtola Paulus, magnus ille ueritatis præco & Doctor gentium. Ita enim ait. Hæc tibi ſcribo, fili Timothee, ut ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei uiui, Columna & firmamentum ueritatis.

Eccleſia Corpus et ſponſa Chriſti.

1 Timo.3

Sextum. Ex Actibus Apoſtolorũ, Vbi certe permulta teſtificatur Lucas

In historia de spiritu ueritatis in Ecclesia & congregatione sanctorum, Capitulo 1. quando eligendus erat in locũ Iudæ Mathias Apostolus, Cap. 6. quando eligendi erant vij. Diaconi, Cap. 15. quando fideles ex gentibus ab onere legis eximendi erant. Vbi sane magna & autoritate & fiducia dixit uenerabile Apostolarum & seniorum Conciliũ, Visum est spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere uobis oneris &c. Item Cap. XX. Vbi ad maiores natu Ecclesiæ sic ait Paulus Apostolus, Attendite uobis & uniuerso gregi. In quo uos spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ex his itaq; patet, eos, qui legitime cõgregatum Concilium falsitatis aut erroris inculpare non uerentur, blasphemare & peccare in spiritum sanctum, qui ponit Episcopos regere Ecclesiã Dei, De quo in primo Concilio uera-

Blasphemia in spiritum sanctum.

citer dictum est, Visum est spiritui san cto & nobis.

Acerrime itaque tales Episcoporum hostes & contemptores redarguit S. Cyprianus. In plærisque epistolis, ubi dicit, illos seipsos constituere iudices, non tam Episcoporum, quam Dei & Christi, qui sacerdotes constituit. Nisi si ita est (inquit) aliquis sacrilegæ teme ritatis ac perditæ mentis, ut putet, sine Dei iudicio fieri sacerdotes: Cum Do minus in Euangelio suo dicat. Nonne Duo passeres asse ueneunt, & neuter eorum cadit in terram sine patris ue stri uoluntate. Hoc est fidem non ha bere qua uiuimus, hoc est Deo hono rem non dare, cuius nutu & arbitrio regi & gubernari omnia scimus et cre dimus. Hæc Cyprianus.

Cypri. li. 1. Epist. 3.

SEX TESTIMONIA

Ex legibus Imperatorum, Pro Conci liorum Autoritate.

Quan-

QVanquam sacra scriptura (cuius testimonia quædam iam supra sunt recitata ex utroq; Testamento) abunde sufficit & apud omnes Christianos indubitatæ fidei autoritatisq; est: Ex abundanti tamen superaddam & alia quædam testimonia ex legibus Imperatorum, quæ Lutherani uerecunde recusare non possint. Quandoquidem Lutherus ipse & Philippus eius, publice testati sunt in uisitatione Saxonica, Obediendum esse Imperatorum legibus ac sæcularium Potestatũ mandatis haud secus atque Dei uocibus & diuinis oraculis. Iuxta illud scripturæ. Diuinatio in labijs Regis. Prou. 16.

Primum igitur Testimonium sit Trium Imperatorum, uno & eodem tempore Augustorum, nempe Gratiani, & fratris eius, Valentiniani Vndecimi & Theodosij Primi. Quod inter leges Codicis Iustiniani primum

obtinet locum. In hęc ſane uerba. Cunctos populos, quos Clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali uolumus religione uerſari, quam diuinum Petrum Apoſtolũ tradidiſſe Romanis, religio uſq; adhuc ab ipſo inſinuata declarat, Quam quod Pontificem Damaſum ſequi claret & Petrum Alexandriæ Epiſcopum, uirum Apoſtolicę ſanctitatis. Et poſt pauca. Hanc (inquiunt) legem ſequentes, Chriſtianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos uero dementes uæſanosq; iudicantes, hæretici dogmatis infamiã ſuſtinere. Hæc lex iſta. Ex qua Lutherani, quam diu Ro. Pontificem pro Antichriſto habent, non Catholicorum ſed hæreticorum nomen palam agnoſcere debent, & non niſi per pœnitentiam reſipiſcendo hanc infamiam abolere poterunt.

C. de ſumma Trini. l. 1.

Secunbum. Eorundem trium Imperatorum mandatum eſt, lege mox

ſequenti,

ſequenti, Arceantur (inquiunt) cun-ctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ: Vnius & ſummi Dei nomen ubiq; celebretur. Nicenæ fidei, dudum à maioribus traditæ, & diuinæ religionis teſtimonio atque aſſertione firmatæ, obſeruantia ſemper manſura teneat. Et infra. Vt cunctis Orthodoxis Epiſcopis, qui Nicenam fidem retinent, Catholicæ Eccleſiæ toto orbe reddantur. Hac lege confirmatur fides autoritasq; Niceni Concilij nominatim. Quod autẽ de alijs tacetur, inde accidit, quia ante horum trium Imperatorum tempora non alia, præter unum Nicenum, Fuerunt Generalia celebrata Concilia. Quod igitur de Niceno ab his ſtatutum eſt, de alijs quoq; Generalibus, quæ poſtea celebrata fuerunt, Concilijs ſtatutum eſſe pari ratione intelligitur. Quia omnium una eſt ratio & autoritas.

C. eo. tit. L. Nullus

Nicenum Conciliũ.

Ibidem l. seq. Nemo. Tertium. Martiani Imperatoris eſt, lege mox ſequenti. Nemo (ait) Clericus uel militaris uel alterius cuiuslibet conditionis, de fide Chriſtiana publice, turbis coadunatis & audientibus, tractare conetur in poſterum, ex hoc tumultus uel perfidiæ occaſionem requirens. Nam & iniuriam facit iudicio Reuerendiſsimæ Synodi, ſi quis ſemel indicata ac recte diſpoſita reuoluere, & publice diſputare contenderit. Et poſt pauca. Nam in contemptores huius legis pœna non deerit. Quia non ſolum contra fidem uere expoſitam ueniunt, ſed etiam Iudæis & Paganis ex huius certamine prophanant ueneranda myſteria. Hæc Martianus, piiſsimus Imperator. Quæ ſi noſtris temporibus fuiſſent cuſtodita, non eſſent hodie tot & in fide & in Imperio per Apoſtatarum ſcelera turbationes.

Quartum, Iuſtiniani eſt Imperato-

ris,

ris, qui ad Ro. Pontificem. Iohannem Eo.tit.I.
II. scribens sic ait. Nos reddentes ho- seq. Nos
norem sedi Apostolicæ & uestræ san reddētes.
ctitati, quod semper nobis in uote
fuit & est, ut decet. Patrem honoran-
tes uestram Beatitudinem, omnia quę
ad ecclesiarum statum pertinent, festi-
nauimus ad notitiam deferre uestræ
sanctitatis. Quoniam semper nobis
fuit magnũ studium, unitatem uestræ
Apostolicæ sedis, & statum sancta-
rum Dei ecclesiarum custodire, qui
hactenus obtinet, & incommote per-
manet, nulla intercidente contrarieta-
te. Ideoq; omnes sacerdotes uniuersi
Oriẽtalis tractus & subijcere & unire
Sedi uestræ sanctitatis properauimus.
Et infra. Suscipimus autẽ sancta Qua IIII. Con-
tuor Concilia. Id est. CCC & XVIII. cilia pri-
sanctorũ patrum qui in Nicena urbe ma.
congregati sunt. Et CL. sanctorũ pa-
trũ, qui in hac Regia urbe conuenerũt
Sanctorum patrum qui in Epheso pri

mo

mo congregati ſunt. Et ſanctorum pa trum qui in Chalcedone conuenerunt: ſicut ueſtra Apoſtolica ſedes docet atq; prædicat. Hæc ibi Iuſtinianus Imp. Cui reſpondens Papa Iohannes II. Inter cætera ſic ait. Aequum quippe eſt, ut qui noſtris minime obædientiam accommodant ſtatutis, ab Eccleſijs habeantur extorres, Sed quia gremium ſuum redeuntibus nunquam claudit Eccleſia, obſecro Clementiam ueſtram, ut ſi proprio depoſito errore, & praua intentione depulſa, ad unitatem Eccleſiæ reuerti uoluerint, in ueſtra communione receptis indignationis ueſtræ remoueatis aculeos, & nobis intercedentibus benigni animi gratiam condonate. Hæc ibi. Quid uero ijs clarius aut efficacius dici aut proferri queat in nouam Lutheri & complicium eius contra ſedem Apoſtolicam & Generalia Concilia contumaciam, impiamq; rebellionem & contemptum? Quin-

Pium Papæ ad Imper. reſpõſum.

Quintum. Eiusdem Iustiniani est In Autenticis. Vbi sic habetur. De regulis Ecclesiasticis & priuilegijs, aliisq; capitulis, ad sacrosanctas Ecclesias & reliquas uenerabiles domos pertinentibus, præsentem proferimus legem. Sancimus igitur, uicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à sanctis Quatuor Concilijs expositæ sunt aut firmatæ. Hoc est, In Nicena CCC & XVIII, & in Constantinopolitana sanctorum CL patrum, & in Ephesina prima, in qua Nestorius est damnatus, & in Chalcedonia, in qua & Eutiches cum Nestorio anathematizatus est. Prædictarum enim. Quatuor synodorum dogmata, sicut sanctas scripturas, accipimus: & regulas, sicut leges, obseruamus. Ideoq; sancimus secundum earum diffinitiones, sanctissimum senioris Romæ Papam, primum esse omnium sacerdotum &c. Miror equidẽ, si hæc uerba

In Auct. Collatione 9. Constitu. 6. in prim.

Lego Dioscoro.

uerba ullus Lutheranorum, aut Zuinglianorum aut Anabaptistarũ, absq; frontis rubore & conscientiæ palpitatione legere queat. Si quis autem miretur, quod de Quatuor duntaxat Concilijs hic fit mẽtio, is sciat, eo tempore, quo hanc legẽ statuit Iustinianus, plura ꝙ hæc Quatuor, Generalia Concilia non fuisse legitima & approbata, Quintũ enim quod postea Constantinopoli sub eodem hoc Imperatore & Vigilio Papa celebratum fuit, illo tempore in rerum natura nondum erat. Fuerant quidem plura prius sub Constantio Imp. Arriano celebrata Concilia, sed pro legitime congregatis & approbatis non sunt habita.

Vide dist. in Decretis, 16.

Vide hist. tripar. li. 5.

In Auct. colla. 8. Consti. 5. In prim.

Sextum. Rursus Iustiniani in Autenticis est. Vbi sic ait. Vnam nobis esse in omni nostra Repub. & Imperio uitam & in Deo spem credimus, scientes quia hæc nobis & animæ & Imperij dat salutem, Vnde & legislationes

nes nostras inde pendere competit, & in eam respicere, Et hoc eis principium esse & medium & terminum. Sicut igitur uniuersi, qui ante nos imperantes, & maxime LEO piæ memoriæ, & IVSTINVS piæ memoriæ Pater noster, in suis constitutionibus. Hæreticis omnibus interdixerunt: ut neq; ulla ipsi participarentur militia, neq; quodlibet in publicis curis participium haberent, uti ne occasione militiarum & publicorum collegiorum, sanctæ Dei Catholicæ & Apostolicæ membra Ecclesiæ uiderentur uastare, & nos ipsi hoc egimus, nostris Constitutionibus hoc roborantes. Hæc ibi. Et in alia deinceps constitutione aliam rursus pœnam infligit hæreticis, ita constituens. Si quis de prædictis parentibus Orthodoxus constitutus, senserit suum filium uel liberos, non esse Catholicæ fidei, nec in sacrosancta Ecclesia

Lex Inst. in hæreticos.

In Eadem Colla. consti. 12. Si quis 2.

ſia communicare: In qua omnes Beatiſsimi Patriarchæ, una conſpiratione & concordia, fidem rectiſsimam prædicant. Et ſanctas Quatuor Synodos, Nicenã, Conſtantinopolitanã, Epheſinam primum, & Chalcedonenſem, amplecti ſeu recitare noſcuntur: licentiam habeat pro hac maxime cauſa. Ingratos, & Exhæredes eos in ſuo ſcribere teſtamento. Et hoc quidem pro ingratitudinis cauſa decernimus. Ecce quanta ſemper fuerit apud Catholicos Imperatores Generalium Conciliorum autoritas, & publicum in hæreticos quoslibet, qui Concilijs detrahebant, odium ac deteſtatio.

SEX TESTIMONIA

pro Conciliorum Autoritate, Ex uolumine Decretorum.

Qvamuis uero Lutherani contemnant Iuris Canonici decreta, pro lectoris tamen inſtructione

ne uberiori libet ex Gratiani quoq; uolumine quędã pro Conciliorũ autoritate afferre teſtimonia, tanto ſane breuius, quanto minus Pontificũ quàm Imperatorum Conſtitutionibus deferunt Aduerſarij.

Primũ igitur ſit facundiſsimi Pontificis Gelaſij, Ex XV. Diſtinctione. Sancta (inquit) Romana Eccleſia, poſt illas ueteris Teſtamenti & noui ſcripturas, quas regulariter ſuſcipimus, etiam has ſuſcipi non prohibet: ſanctam Synodum Nicenam CCC XVIII patrum, mediante Conſtantino Maximo Auguſto &c. Enumeratis itaq; Quatuor Concilijs, iam antea commemoratis, ita ſubiungit. Sed & ſiqua ſunt Concilia à ſanctis patribus hactenus iſtituta, poſt iſtorum Quatuor autoritatem etiam cuſtodienda & recipienda mandamus & decernimus. Hæc Gelaſius cum LXX. Epiſcopis, temporibus Anaſtaſij Imp. qui

Diſt. 15. c. ſancta Romana.

Tẽporibus Gelaſij Quatuor tantũ fuerant Concilia Generalia.

paulo ante Iustinianũ impio Ro. præfuit. Loquitur itaque Gelasius de alijs quoq; Concilijs ab Ecclesia receptis, ultra illa Quatuor, utpote de Ancyrano, de Gangrensi, de Laodicensi &c.

Dist.16 c. Quoniã. Secundum. Ex sexta synodo, ubi sic statutum legitur. Item confirmamus & cæteros sanctorum canones & synodos, primam Nicenam & Anchiritanam, Neocesariensem, Gangrensem, Antiochenam, Laodicensem, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, Chalcedonensem, Sardicensem, Carthaginensem &c.

Ibidem c. seq. Tertium. Ex professione Rom. Pontificis, quę sic habet. Sancta Octo uniuersalia Concilia, primum Nicenum, secundum Constantinopolitanum. Tertium Ephesinum. Quartum Chalcedonensem. Et Quintum item Constantinopolitanũ, Sextum item. Nicenum septimum. Octauum quoque Constantinopolitanum: Usq; ad

unum

unum apicē immutilata seruare, & pari honore ac ueneratione digna haberi. Et quæ prędicauerūt & statuerunt, modis omnibus sequi & prędicare: Et quæcunque condemnauerunt, ore & corde condemnare profiteor.

Quartum. Ex septima Actione Chalcedonensis Concilij, Vbi Martianus Imperator inter cætera sic dixit. Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religiosißimi Principis Constantini, Synodo interesse uolumus: ut ueritate inuenta, non ultra multitudo prauis doctrinis attracta discordet. *Dist. 96. c. Nos ad fidem.*

Quintum. Ex rescriptis Gelasij Papæ, Vbi sic ait Acatius (fuit is Patriarcha Constantinopolitanus) non est factus inuentor noui erroris, sed ueteris imitator. Atque ideo non erat necessarium, ut aduersus cum noua sententia prodiret, sed antequam tantummodo renoua- *24. q. 1. c. 1 & 2.*

retur. Factus sum itaque Executor ueteris constituti, non promulgator noui. Quicunque enim in heresim semel damnatam labitur, eius damnatione seipsum inuoluit. Maiores nanque nostri, diuina inspiratione cernentes necessario precauerunt: ut quod contra unam quamque haeresim coacta semel synodus pro fidei communione & ueritate Catholica atque Apostolica promulgasset, non sinerent nouis post haec retractationibus mutilari.

25.q.1.5. violatores. Sextum. Ex dictis Damasi Papae, quae sic habent. Violatores canonum uoluntarie, grauiter à sanctis patribus iudicantur, & à sancto spiritu, instinctu cuius ac dono dicati sunt, damnantur. Talis enim praesumptio manifeste unum genus est blasphaemantium spiritum sanctum, quia contra eum agit, cuius nutu & gratia sancti Canones aediti sunt.

Sex

SEX TESTIMONIA

pro Conciliorum autoritate Ex appro*batis ſcriptis* Eccleſiæ Do*ctorum.*

PRimum ſit ſancti Hilarij Pictauorum Epiſcopi, qui propter fidem Catholicam à Conſtantio in exilium eiectus, ad Galliarum & Germaniæ Epiſcopos inſignem de Synodis librum ſcripſit. In cuius fine ſic ait. Pium eſt quod uolumus, ne damnemus patres, ne animemus hæreticos: ne dum hæreſim appellamus, hæreſim nutriamus. Interpretati patres noſtri ſunt poſt Synodum Nicenam Homouſij proprietatem, religioſi extant libri, manet conſcientia, Si quid ad interpretationem addendum eſt, communiter conſulamus. Poteſt inter nos optimus fidei ſtatus condi, ut nec ea quæ bene ſunt conſtituta uexentur, & quę male ſunt intellecta reſecentur.

Hilarius Pictanenſis.

Amb. lib. 10. epist. 82. Secundum. S. Ambrosij in præclara & bene prolixa ad Vercellensis epistola, ubi de Digamis agit. Apostolus (inquit) legem posuit, dicens. Siquis sine crimine est, unius uxoris uir. Ergo quia sine crimine est, unius uxoris uir, teneatur ad legem sacerdotij suscipiendi. Qui autem iterauerit coniugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogatiua exuitur sacerdotis. Diximus quid legis, dicamus etiam quid rationis. Sed prius cognoscamus, non solum hoc Apostolũ de Episcopo & presbytero statuisse, sed etiam patres in Cõcilio Niceni tractatus addidisse, Neq; Clericum quenquam debere esse, qui secunda coniugia sortitus sit. Ecce quomodo nititur hic pater autoritati Nicenæ Synodi, quam Apostoli dicto superaddit. (1. Tim. 3.)

Aug. ad Ianuariũ. Tertium. S. Augustini, Ex Epistola eius CXVIII. Vbi sic ait. Illa autem quæ non scripta sed tradita custodimus,

mus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, datur intelligi, uel ab ipſis Apoſtolis uel plenarijs Concilijs (quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima autoritas) commendata atq; ſtatuta retineri. Et infra. Similatur etiã (inquit) ſi quid horum tota die per orbem frequentat Eccleſia. Nam hoc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.

Quartum. S. Gregorij Papæ I. Ex regiſtri libro 1. Vbi in bene longa pia & erudita epiſtola, quam mox poſt ſui electionem miſit ad Quatuor Patriarchas: nempe Conſtantinopolitanum, Alexandrinum. Hieroſolymitanum & Antiochenũ: fidem ſuam declarans, inter alia multa ſic ait. Præterea, quia corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem, Sicut ſancti Euangelij Quatuor libros, ſic Quatuor Concilia ſuſcipere & uenerari me fateor. Nicenum

Greg. In regiſt. li. 1. epiſtola 24.

Ro. 10.

Plura sunt uerba Gre. quæ hic propter breuitatē omittuntur.

scilicet, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense, tota deuotione complector, integerrima approbatione custodio. Quia in ijs, uelut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit. Et cuiuslibet uitæ atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ædificium iacet &c.

Isidorus.

Quintum. S. Isidori Hispalensis, qui magnum conscripsit Decretalium Epistolarum Conciliorumq; uolumen. In cuius præfatione post multa sic ait. Nosse etiam oportet (licet * cætera non infirmetur) Quatuor esse Principalia Concilia. Ex quibus plenissimam fidei doctrinam tenent Ecclesiæ, tam de patris & filij & spiritus sancti diuinitate, quàm de prædicti filij & saluatoris nostri incarnatione. Prior harum Nicena synodus est &c. Et infra. Hæ sunt (ut prædiximus) Quatuor Principales & uenerabiles Synodi,

*aliàs, * certa*

Synodi, fidem Catholicã complecten tes. Sed siqua sint Concilia, quę sancti patres spiritu Dei pleni sanxerũt, post ipsorum Quatuor autoritatem, omni manent stabilita uigore.

Sextum. Venerabilis Bedæ est, qui in libro de temporibus, usq; ad tempora sua sex commemorat Concilia, quę uniuersalia dicuntur, Quorum sane Tria, utpote Secundum. Quintum & sextum. Constantinopoli in urbe Regia, diuersis temporibus, sub diuersis Ro. Pontificibus & Imperatoribus celebrata fuerunt. Omnia tamen ueris Christianis adhæc usq; tempora semper sacrosancta & indubitatæ autoritatis fuerunt. Beda.

Quinetiam Lutherus ipse, dum saniore esset mente, Concilijs plurimum autoritatis tribuit, Nam ubi quædam eius dicta à D. Eckio (bonæ memoriæ) atro essent calculo seu carbone notata, Inter quæ & istud erat, quod Luth. de Concilijs cõtra se ipsum.

nihil teneret de Cōcilijs Generalibus: Ipse mox libellum ædidit, cum hac inscriptione. Contra malignum Eccij iudicium, In quo sic habet de Concilijs. Hunc articulum non esse meum, intelligit, credo, quicunq; Resolutiones meas & Dialogũ contra Syluestrum legerit, quando id unice deploro ac gemo, nos dignos non esse ut uideamus legitimũ Concilium. Hanc ego Lutheri uarietatem & inconstantiam de Concilijs, sicut & de alijs permultis rebus, cōmemoraui ac traduxi iam pridem in septicipite meo. Sed uideamus modo, quam impie contra Concilia sentiat in 30. suis propositionibus, quas Vuittenbergæ disputauit.

Septiceps In ca.34.

CONFVTATIO XXX

Propositionum Lutheri de Concilijs, per Ioh. Cochlæum.

I. POst Christum non est autoritas aut potestas ulla Apostolis et Prophetis æquiparanda.

Co-

Cochlæus. Nemo quidem Christianorũ reprobat aut reijcit Apostolorum ac Prophetarum scripta, multo minus Ecclesia id facit: Attamen quũ ipsa sit corpus & sponsa Christi, sicut Paulus docet, Et de spiritu sancto certissimas habeat Christi promissiones, nõ minorem quàm habuerunt Apostoli & Prophetæ, potestatem habere recte creditur. Quando quidẽ illi membra eius (quæ corpus Christi est) fuerunt, sicut attestatur Apo. 1. Co. 12. & Ephe. 4. Quis uero audiuit unquã, partẽ suo toto maiorẽ esse? Item Inter natos mulierũ non surrexit maior Iohanne Baptista, Matth. 11. Is autem nunquã supra Ecclesiã sese extulit, sed eam pro sponsa Christi, se uero pro amico sponsi habuit & agnouit Ioh. 3. Quis uero dicat, maioris esse autoritatis amicũ sponsi quam ipsam sponsam, quę cum ipso sponso unum corpus & una caro est, iuxta illud ipsius sponsi dictũ, Et erũt

Ephes. 1. & 5.

Matt. 19.

duo

Duo in carne una? Item. Apoſtoli & Prophetæ non habuerunt perpetuo ſpiritum ſanctum apud ſe manentem, ſicut habet eum Eccleſia, ſed aliquando per eius abſentiam lapſi ſunt, Sicut de Petro teſtatur Paulus Gal. 2. quando in faciem ei reſtitit. Et de Paulo ſancti dicunt Doctores aliqui, quando à Barnaba receſsit propter Marcũ Act. 15. Et Eliſeus Propheta de ſeipſo 4. Reg. 4. Eccleſia uero certiſsimas habet promiſsiones Chriſti, quod ipſe & ſpiritus ſanctus cũ ea permanſuri ſunt uſque in finem ſæculi & in æternum. Matth. 28. & Ioh. 14. Et ego iam olim in Apologia de Euchariſtia, contra Captiuitatem Babylonicam Lutheri, X rationibus oſtendi, non minorem eſſe Eccleſiæ quam Pauli autoritatem, idq́ ex ſolidis deduxi ſcripturis,

II. Reliqui omnes illorum ſucceſſores tantum pro diſcipulis eorum habendi ſunt.

CO. Possunt quidem successores, discipuli suorum esse prędecessorum, Vbi tamen in locum eorum successerint, æqualem habent potestatē quam illi habuerunt. Ait enim Dominus. Matth.10. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius. Quinetiā maius quiddam suos pollicetur facturos esse discipulos Ioh.14. Potest igitur successor aliquando maior esse suo prædecessore, sicut per experientiā in multis Pontificibus Regibusq́ et Episcopis compertum habemus. Potest item æqualis remanere potestas ratione status aut dignitatis, etiamsi persona successoris longe minor aut Inferior sit quàm fuerit persona prædecessoris, Potestas enim in successione non secundū personam sed secundū statum seu dignitatem attenditur, Iuxta illud salutatoris Matth.23. Super cathedram Moysi &c.

III. Apostoli enim certam habuerunt

runt promiſsionē ſpiritus ſancti, non ſolum generaliter, ſed etiam pro ſuis ipſorum perſonis ſpecialiter.

CO. Sex Noui Teſtamenti Teſtimonia ſupra dicta, longe perfecto clariora certioraq; ſunt ad Eccleſiam generaliter quã ad perſonas Apoſtolorum ſpecialiter. Non enim ignorabat Chriſtus, quod Apoſtoli non eſſent perpetuo ſuper terram in Eccleſia permanſuri perſonaliter, uſq; ad conſummationem ſæculi, Nihilominus dixit ad eos Matth. ult. Et ecce ego uobiſcũ ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationē ſæculi. Et Ioh. 14. Et ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit uobis, ut maneat uobiſcum inæternum, ſpiritũ ueritatis. Tales igitur promiſsiones magis ad Eccleſiam generaliter, quàm ſpecialiter ad perſonas Apoſtolorũ referri debent. Ipſe enim dixit ad patrē Ioh. 17. Non pro eis autem rogo tantũ, ſed & pro eis qui credituri

dituri sunt per uerbum eorum in me. Et Mar. 13. Quod autem uobis dico, omnibus dico, Vigilate.

IIII. Ideo & ipsi soli dicuntur Ecclesiæ fundamenta, qui fidei articulos dare ac ponere debeant.

CO. Lutherus plerunq; adijcit hãc exclusinã uocẽ solus, per quã sane multos deprauat textus et sentẽtias. Quemadmodũ & hic facit. Iohãnes quidẽ in Apocalypsi uocat Apostolos fundamenta, sed nõ adijcit uocẽ Exclusinã, sicut fraudulẽter & impie facit Lutherus. Sic enim ait. Et mirus ciuitatis habens fundamenta XII, & in ipsis XII nomina XII Apostolorũ et agni. At si diceret, Soli XII Apostoli, Iã nõ foret locus Paulo Apostolo, qui tum plus omnibus laborauit. 1 Cor. 15. Nec sessurus esset cũ alijs Apostolis super sedes XII ad iudicandũ XII tribus Israel. Nã præter ipsum alij sunt XII Apo. Male igitur adijcit hic uocẽ Exclusinã Lutherus, Apoc. 21.

therus, contra seuerissimam Dei prohibitionem, quæ habetur Deut 4. Prouerb. 30. & Apoc. 22. Vbi cauetur, ne quid uerbo Dei addatur aut adimatur. Non enim soli Apostoli, sed & alij multi in diuersis prouincijs fidei fundamenta iecerunt, Veluti Timotheus in Asia, Titus in Creta, Dionysius in Gallia, Gregorius in Anglia. Bonifacius Martyr in Germania, &c. Ait itaq; Paulus ad Ro. 15. Ab Hierusalem per circuitum usq; ad Illyricum repleui Euangelium Christi: sic autem hoc prædicaui Euangelium, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est. Quoniam quibus non est nuntiatum de eo uidebunt: Et qui non audierunt de eo, intelligent.

Esa. 52.

V. Tales promissiones spiritus sancti nulli ex successoribus eorum pro suis proprijs personis habuerunt.

CO. Vbi ergo scriptum est, Tu Pe

tre

tre aut tu Andrea, aut tu Iacobe, spiritum sanctum pro tua ipsius persona habebis, et nullus alius post te? At iam supra demonstratum est contrarium, Ex uerbis ipsius Domini, Ecce ego uobiscũ sum &c. Nõ enim solis Apostolis, sed etiam successoribus eorum de spiritu sancto promissiones factæ sunt. Supra 3. Propo.

VI. Ideo non sequitur, hoc & illud potuerunt ac in potestate habuerunt Apostoli, igitur & successores eorum talia possunt.

CO. Cur non sequitur? Ait nanque ipse Dominus Ioh. 14. Amen Amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem uado. Item. Lucæ 10 Qui uos spernit, me spernit. Et Ioh. 20. Sicut misit me pater, & ego mitto uos. Item Ioh. 13. Amen amen dico uobis, qui accipit si quẽ misero me accipit: Qui autem *Apostolorum & successorum eorũ æqualis potestas in regimine.*

me accipit, accipit eum qui me misit. Interrogētur ergo Theologi & Iurisconsulti quicunq;, procul dubio dicent, successores utiq; habere eandem potestatem, quam prædecessores ipsorū habuerūt. Alioqui quotidie mutandę forent Pontificum Imperatorum Episcoporum & Ducū potestates. Loquor autē hic de potestate, autoritate & Iurisdictione: nō de sanctitate uitæ, non de linguis, status seu dignitatis, in quā succeditur nō de scientijs, nō de miraculis &c. In quib. sane successores suis non semper ęquiparantur prędecessoribus, sed sępe minus aut plus habent.

VII. Sed quicquid docere, statuere aut ordinare uoluerint, in eo Apostolorū autoritatē sequi et afferre debent.

CO. Afferunt certe secum in Generali Concilio longe maiorem quâm Apostolorū autoritatem, Nempe ipsius met Christi qui in medio eorum est Matth. 18. Et spiritus sancti, qui apud

pud ecclesiam manet in ęternum, Ioh. 14. & eos ad regendum Ecclesiam po suit Act. 20. Qui & Apostolos ipsos rexit. Multa autem constituta sunt, & per totam Ecclesiam ubiq; obseruantur, quæ secundũ literam ab Apostolis expresse non sunt scripta, Quemadmodũ ostendunt Origenes & Au- *Orige homel. 5. super Nume.* gustinus. Sed tradita fuerunt ore tenus ab Apostolis, aut in plenarijs *Aug. epist. 118.* Concilijs per sancti spiritus inspirationem. Math. 10. & Ioh. 16. Ideo spiritus sancti autoritatem secum afferunt, sicut scriptum est Act. 15. Visum est spiritui sancto & nobis.

VIII. Sicut ait S. Petrus. Siquis loquitur, quasi sermones Dei: Si quis mi *I. Pet. 4.* nistrat, tanquam ex uirtute quam administrat Deus.

CO. Nõ ait S. Pet. Si quis loquitur, id ex Biblijs aut sacris scripturis faciat, & nõ aliter (sicut ait & uult Luth. qui tum nec ipse met id obseruat) sed ait,

Verbum Dei, aliud scriptum, aliud non scriptum.

Quasi sermones Dei, Hoc est, ex spiritus sancti (qui Deus est) instinctu: sicut dicit Christus Matth. 10. Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Et sicut ait Paulus 2. Cor. 13. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Et 1. Thessa. 2. Quoniam cũ accepissetis à nobis uerbum auditus Dei, accepistis illud, non ut uerbum hominum, sed sicut est uere uerbum Dei. Iam non omnia uerba Pauli erant in Biblijs scripta, sed erant ex spiritu sancto, scripta quidem, non atramento, sed spiritu Dei uiui 2. Cor. 3. De quibus & Hieremias Propheta loquitur cap. 31. Ideo & Generalium Conciliorum decreta recipienda sunt, non ut hominum, sed ut Dei uerba, eo quod Christus & spiritus sanctus in medio eorum sunt, ut dictum est.

IX. Non enim uoluntate humana allata est aliquando Prophetia, In quocunq;

quocunq; gradu aut ſtatu ſublimi ho 2.Pet.1.
mo unquam fuerit.

CO. Non ceſſat fraudulenter agere Lutherus, quando ſcripturas allegat, ſed pro commodo & propoſito ſuo aliquid addit aut omittit, ſicut dictum eſt ſupra de uoce Excluſiua, ſolus. Ita & hic ad textum S. Petri ſuper addit de ſuo hæc uerba. In quocunq; gradu aut ſtatu ſublimi homo unquã fuerit. Scimus autem ex Euangelio, Ioh.11.
quod de morte Chriſti prophetauit Caiphas, non quod adeo ſanctus fuerit in propria perſona, ſed quia erat Pontifex anni illius. Neq; tamen contra Concilium eſt hoc dictum S. Petri, quod obijcit hic Lutherus. Vltro enim fatemur. Non humana uoluntate, ſed diuino inſtiuctu afferri Conciliorum decreta, eo quod Chriſtus & ſpiritus ſanctus in medio eorum ſunt. Et non ipſi homines ita decernunt, ſed ſpiritus Dei qui loquitur in eis Matth. 10. & 18.

X. Sed ſpiritu ſancto acti, locuti ſunt ſancti Dei homines, ne ſcripturas propria interpretatione exponerent.

CO. Hoc magis pro nobis quàm contra nos eſt. Quandoquidem tot ſancti homines Dei, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius &c. tantum autoritatis tribuunt Generalibus Concilijs, uti memoratum eſt ſupra, merito eorum uerbis plus creditur, quàm inſtabilibus ex cerebroſis nugis prophani Lutheri, qui manifeſto ſcandalo criminoſam agit uitam Monachus cum Moniali in prætenſo coniugio, quod reuera nihil aliud quàm inceſtuoſum eſt flagitium. Quid uero aliud eſt noua eius ſcripturarum expoſitio quàm propria quædam ipſius interpretatio, quæ Doctorum Eccleſiæ pijs interpretationibus impie aduerſatur.

Qualis in uita & ex poſitione ſcripturæ Lutherus.

XI. Vbi igitur ſucceſſores non ſequuntur nec tenent Apoſtolorū fundamen-

damentum, hæretici sunt & Antichristi, tanquam ij qui extra fundamentum pereunt.

CO. Vera petra & fundamentum Christus est, 1. Cor. 10. Et uera colũna ac fundamentũ ueritatis Ecclesia est, 1. Timo. 3. Quisquis igitur in unitate Ecclesiæ Catholicæ permanet, is super uerum stat fundamentum, sicut patet Ioh. 17. 1. Cor. 1. Ephe. & Phil. 3. Quisquis uero se à Catholica Ecclesia segregat, & propriam sectam colligit, is reuera hæreticus est & Antichristus. De qualibus ait in sua Canonica Iohannes. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscũ. Item. Nũc Antichristi multi facti sunt, unde scimus, quia nouissima hora est. At Lutherus (quem Iohannes hic graphice depingit) nunquã probare poterit, quod ullũ Generale Concilium, legitime congregatũ ac celebratũ, ab

Quis hæreticus & Antichristus est.

1. Ioh. 2.

Apostolorum fundamento aberrauerit, Nihil igitur facit hæc eius propositio contra ullum Concilium Generale, quodcunque ab Apostolica sede & Catholica Ecclesia receptū & approbatum est.

XII. Ideo Concilium aut Episcopi congregati errare possunt, æque bene sicut alij homines, siue in publico constituti officio siue priuati, absque officio.

Nō errat Conciliū sicut errat homo unus.

CO. Hoc non sequitur, Nullus enim hominum, siue in publico sit officio siue priuatus degat, tam multas & certas habet à Deo promissiones, quàm habet Ecclesia in Generali Concilio. Quales permultæ commemoratæ sunt supra, Verbi gratia, quod in medio eius sit Christus & spiritus sanctus, qui cum Ecclesia maneat in æternum, eamque doceat omnē ueritatem, Et quod ipsa sit colūna & fundamentum ueritatis, sponsa Christi una, formosa,

mosa, perfecta & immaculata, sicut in Canticis de ea sponsus ipse canit Can. 4. & 6.

XIII. Si autem non errent: hoc fit, aut à casu, aut ex merito alicuius sancti ac boni uiri qui inter eos est, aut etiam generalis Ecclesiæ, & non per potestatem & autoritatem congregationis eorum.

CO. Quilibet homo errare potest. Iuxta illud Psal. 115. Omnis homo mẽdax. Sicut constat de Propheta Nathan 2. Reg. 7. Et de summis Apostolis Petro & Paulo dictum est supra per scripturæ locos Gal. 2. & Act. 15. Quum autem Christus & spiritus sanctus sint in medio Concilij, non potest errare Concilium, quia Christus uia & ueritas est Ioh. 14. Et spiritus sanctus docet illud omnem ueritatem, Ideo si non errat Concilium, non à casu fit, sed per promissiones Christi supra dictas, qui utiq; mentiri & seip-

ſum negare non poteſt 2. Timo. 2.

Epicuræa Lutheri ſcientia. Lutherus itaq; inſtar Epicuri hic loquitur, quaſi Deus de Eccleſia nihil curet, ſed caſui & fortunæ ad ſcribendum ſit, ſi quid ueri dicat. At longe rectius de Eccleſia docet nos Paulus 1. Timo. 3. & Epheſ. 5. Non igitur caſu aut fortuito, ſed ex inſtinctu ſpiritus ſancti & ex promiſsionibus Chriſti recte agit, & non errat Eccleſia, Lutherus autem hic ſibi ipſi parum conſtat, dum tribuit hic meritis aliquid, qui antea merita ſanctorũ irriſit & negauit, atq; iuſtũ in omni opere bono, etiam optime facto, peccare aſſeruit.

XIIII. Sic præcauit errorem Concilijũ Nicenum, per uirtutẽ uiri unici Paphnutij, Cum eſſet Ecceſiæ ſuæ tam propicius Chriſtus.

De Cõiugio ſacerdotum. CO. Itane magnum ibi præcauit errorem Paphnutius? At reuera error non eſt, ſeruare caſtitatem presbyteros: Licet Lutherus Monachis quoq;

&

& Monialibus coniugij usum permittat, contra uotum, & contra publicas leges & Canones. Neq; errorem dixit esse Paphnutius, neq; Episcopis aut præsbyteris uxores ducere permisit, sed suasit, ne eis prohiberentur uxores quas ante ordinationem suam duxerant, Qua de re clarũ est testimoniũ & Sozomenis in Historia Tripartita & Gratiani in Decretis.

In Lutherum uero recte quadrat illud, quod olim in Vigilantiũ dixit S. Hieronymus, in hæc uerba. Quid facient Oriẽtis Ecclesiæ, quid Aegypti, & sedis Apostolicæ? quę aut uirgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt. Non errauit igitur Concilium Nicenũ in suo proposito, Quoniam id sacris literis conforme est, ubi uerbum Dei sic habet. Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum. Item. Mundamini, qui fertis uasa Domini.

Hist. tripar. lib. 2. cap. 14.
Dist. 31. c. Nicena.
Leuit. 20.
Esa. 52.

XV. Nam ſpiritus ſanctus nullis promiſsionibus alligatus eſt congregationi Epiſcoporum aut Concilij, Neq; id ulla uia oſtendere poſſunt.

CO. Nos certe clara habemus teſtimonia. Matth. 16. & 18. Nempe, quod Portæ Inferi non præualebunt aduerſus Eccleſiā, Et ubi Duo aut tres congregati ſunt in nomine Chriſti, ipſe in medio eorum eſt, Item Ioh. 14. & 16. De ſpiritu ſancto clariſsime ſunt Chriſti promiſsiones, Vt breuitatis gratia de alijs taceatur.

XVI. Ideo falſo iactitant & ſuperbe, ne dicam blaſphæmæ, quod ſint in ſpiritu ſancto legitime congregati.

CO. Quando ſupremus paſtor & Pontifex oues Chriſti, propter neceſſarias Eccleſiæ cauſas, in unum conuocat, nequaquam id ſuperbia eſt aut blaſphemia: Cum & natura doceat pecudes, in unum ſeſe colligere, quando ſentiunt adeſſe lupos. Et ipſe Dominus

minus iubeat nos attendere & cauere à falsis Prophetis, qui sub uestimentis ouium lupi sunt rapaces. Matth. 7. Et Patres in Concilio solenni more inuocent religiose spiritum sanctum. Quid potest ibi esse superbiæ aut blasphæmiæ? Nonne Lutherani ipsi persæpe Concilium appellauerunt publice?

XVII. Quis enim securos eos aut nos reddet, spiritum sanctum necessario esse ad ipsorum congregationem obligatum aut obstrictum?

CO. De hoc securos reddit nos Euangelium Matth. 18. & Ioh. 14. per Christi promissiones sæpe dictas, Et Paulus 2. Timo. 2. Vbi dicit Deum in suis promissionibus fidelem esse & permanere, qui seipsum negare non possit.

XVIII. Facile quidem est homines congregari, Atqui in spiritu sancto congregari non possunt nisi ij qui Apostolorum fundamentũ, non pro

prium

prium cogitatũ ſuum ſequuntur, ſed fidei menſuram naturamq́ꝫ tractant.

CO. Verba quidem huius propoſitionis facile admittuntur, ſed prauus intellectus & falſa ſubſumptio, quã Lutherani intendunt ac præſeferunt iure repellitur, Nam falſo arrogant ſibi & Apoſtolorũ fundamentũ & Veram fidei tractationem, quam adimunt Catholicis, Qui tamen in his nõ excogitant nouas (ut Lutherus facit) adinuentiones, ſed ſequuntur potius ſenſum expoſitionemq́ꝫ & autoritatem ſanctorum Patrum, quos aprobat ſancta mater Eccleſia.

Recta fidei tractatio.

XIX. In hoc recte dicunt, ſe uniuerſalem Eccleſiã repræſentare, Ipſi enim nõ ſunt Eccleſia, ſed ſæpius eam duntaxat repræſentant.

CO. Hui quàm bellam prætendi ſubtilitatem de hoc uerbo Repræſentare, tanquã id nihil aliud ualeat quam ſignificare, ſicut hæc uox Homo ſignificat

Quomodo Conciliũ repræſentat Eccleſiam.

gnificat hominē, & homo pictus hominem uerū. Nos autē Interpretationi huic nō acquiescimus, Conciliū enim generale uniuersalem Ecclesiā repræsentat, nō solū significatiuè, sicut uox aut Imago picta hominē: sed etiam potestatiuè, Quemadmodū in conuentu aut Dieta Imperiali aut Regali, ij qui conueniunt, totum Imperiū aut regnū repræsentant, habentes potestatem & plenum mandatum, non solū pro personis suis proprijs, sed etiā pro omnibus alijs quorum nomine mittuntur.

XX. Et quando Ecclesiā duntaxat repræsentant, tunc sunt Ecclesia perinde atque homo pictus est homo, hoc est, solummodo repræsentans.

CO. Quando ergo duntaxat repręsentant? quando uidelicet aliter decernunt quàm Luthero placet, Iudici scilicet eorum. At Paulus Heb. 13. longe aliter nos docet, sic enim ait. Obædite præpositis uestris, & subiacete eis. Ipsi

Concilio parendū est.

Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus uestris reddituri, Cum igitur in concilio congregentur Præpositi & Prælati Ecclesiarum, tenemur utiq; eis obædire, tum quia Christus iubet, oues audire pastorum suorum uocem Ioh. 10. tum quia multæ sunt Christi promissiones de seipso & de spiritu sancto pro Concilio & Prælatorum congregatione, quæ fallere aut mentiri non possunt, uti iam sæpe dictum est.

XXI. Siquando autem amplius aliquid et uera Ecclesia sunt, id casu fit, ut dictum est, non uirtute repræsentantis Ecclesiæ, aut ideo quod uniuersalem Ecclesiam repræsentant.

CO. Tunc scilicet uera Ecclesia sunt Luthero, quando ducunt aut statuunt quod ei placuerit. Sed ad hæc iam supra responsum est. Non enim à casu est aut fit, quod recte decernunt, sed ex uirtute & promissione Christi

& spiritus sancti Ecclesia enim non à casu, sed à Deo regitur. Iuxta illud Psal mistæ, Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Psal. 22. Et Deus docuisti me à iuuentute mea et usq; nunc. Psal. 70. Neq; Concilium solum repræsentat, sicut imago picta, sed etiam plenã habet potestatem & autoritatem totius Ecclesiæ, Pastores enim non solum pro seipsis, sed etiam pro ouibus suis ibi assunt & agunt, eo quod pro animabus earum Deo rationem reddituri sunt. Heb. 13. & Ezech. 3. & 33.

Ecclesia non à casu sed à Deo regitur.

XXII. Historiæ indicant, Concilia sæpius fuisse Ecclesiam solum modo repræsentatiuam, quàm rarissime autem Ecclesiam ueram.

CO. Duplicia sunt Concilia, Quædam Hæreticorum, absq; autoritate et uoluntate summi Pontificis congregata, Qualia permulta fuerunt Arrianorum sub Imperatore Arriano Magni Constantini filio Constantio in di

Duplicia Concilia.

uersis prouintijs, quæ commemorantur in historia Tripartita. Et Donatistarum in Aphrica, quorum non pauca commemorantur à S. Aug. in epistolis & sermonibus. In quibus sane conuenerunt multi eorum Episcopi, nunc CC aut CCC, nunc CCCC aut etiam DC. Talia autem Concilia utiqꝫ nō erant uera Ecclesia, De quibus ait Psalmista Psal. 25. Odiui Ecclesiā malignantium, & cum impijs non sedebo, Alia uero sunt Catholicorum generalia Concilia, quæ autoritate Ro. Pontificū congregata fuerunt. Qualia cōmemorata sunt supra, tum ex legibus Imperatorū, tum ex sacris Canonibus. Ea igitur & uera Ecclesia erant & ipsam potestatiue repræsentabant, Ideo & Decreta eorum omnes Orthodoxos & ueros Christianos concernebant atqꝫ obligabant, quia pręsidebat in ijs autoritas & sedes S. Petri, cui dixit Dominus. Pasce oues meas, neque

Ioh. 21.
Luc. 22.

creden-

credendum est, talia unquam in fide errasse. Quia Christus pro Petro rogauit, ne unquam fides eius deficiat.

XXIIII. Quin imo proprie loquendo, Concilium secundum se semper repręsentatiua est ecclesia, Ex accidenti autem est aliquando uera et Christiana congregatio aut ecclesia.

CO. Hæ Lutheri nugæ, cum neq; scripturis neq; rationibus nitantur aut probentur, responsione ampliori dignæ non sunt, quia iam supra confutatæ sunt, Hic unum id admonendus est lector, quod Lutherus Ecclesiam repręsentatiuam accipit pro ficta & picta Ecclesia, quæ solum figura & apparens quædam similitudo sit uerę Ecclesiæ, quomodo aut probabit unquã Apostata iste, quod Conciliũ secundũ se semper sit sic repręsentatiua? Cõstat enim in plurimis Concilijs sanctissimos fuisse patres, uiua Dei tẽpla, lumina mundi, De quibus ait Apostolus,

 Tem-

1. Cor. 3. Templum enim Dei sanctū est quod
Matth. 5. estis uos. Et ipse Dominus. Vos estis (inquit) lux mundi.

XXIIII. Nemo igitur tenetur, Repræsentatiue Ecclesię aut Concilij Decretis credere, nisi secundum Apostolorum scripta iudicent & loquantur. Quod casu accidit.

Procax impudentia Luth. CO. Quamuis sæpissime dicat Lutherus, quod casu accidat, quando Cōcilium recte iudicat aut decernit, Neque tamen id ullo uerbo ex scripturis probat, cum sit hoc paradoxum eius contra omnem scripturam legumq; et Canonum attestationem & autoritatem. Summa est igitur impudentia & procacitas, tam absurde loqui, & nullum addere probationis colorē. Nos autem supra testati sumus persæpe, id nō casu fieri, sed ex uirtute promissionum Christi & instinctu spiritus sancti. Deus enim nō mentitur Num. 23. nec mutatur, Iac. 1. Neq; est in eo Est

&

& non, 2. Cor. 1. Verus igitur Christianus, exemplo Abrahæ, in repromissione Dei non hæsitat diffidentia, sed confortatus fide dat gloriam Deo, plenissime sciens quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere, sicut ait Apostolus Ro. 4.

XXV. Reliqua Decreta omnia, mere sunt repræsentatiuæ aut pictæ Ecclesiæ, quibus acquiescere licet, si non sint impia.

CO. Graue profecto peccatum & scandalum est, tam impie ac procaciter loqui de supremo Ecclesiæ Tribunali, absque omni autoritate scripturæ, ex mera petulantia, contra omnem scripturam & rationem. Certe in ueteri Testamento dicitur. Ipsi indicabunt tibi iudicij ueritatem Deut. 17. Et in nouo ait ipse Christus, Ibi sum in medio eorum Matth. 18. Item. Qui uos audit, me audit: Et qui uos spernit, me spernit. Lutherus autem, uelut Ido- *Supremũ Ecclesiæ Tribunal.*

latra, hæc omnia contemnit, contra illud scripturæ 1. Reg. 15. Quasi scelus idolatriæ est, nolle acquiescere.

XXVI. Ipsimet quoque dicunt, quod unus homo toti Concilio contradicere, illudque redarguere posit, si meliores probationes aut scripturas pro se habeat.

Reuelatio Dei ad paruulos in Concilio.

CO. Hoc intelligendum est de eo, quod nondum est per Concilium generali decreto conclusum et confirmatum, sed pendet adhuc in deliberationis tractatu. Tunc enim potest etiam ex minimis aut Infimis quispiã per spiritum sanctum aliquid indicare, quod forte maioribus nõ fuerit reuelatum. Iuxta illud saluatoris. Matth. 11. Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et illud Pauli 1. Cor. 14. Si aliquid reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Deus enim non est acceptor personarum,

Act.10, seo spirat spiritus ubi uult Ioh. 3. Talis tamen homo non redarguit propterea totum Concilium, nam & ipse illius pars est, sed Deus per ipsum reuelat aliquid Concilio, quod per maiores reuelare sibi non placuit.

XXVII. Hoc quidem dicunt, sed mentiuntur, cum id in facto potenter negent atque condemnent.

CO. Mentitur potius ipsemet Lutherus, Cum ipsemet fateatur de Paphnutio, quod is in Concilio Niceno cæteris contradixerit unus, de quo fuerit laudatus. Sic & in actis Concilij Chalcedonensis legitur, quod unus homo, Leo Papa, etiam absens, contradixerit cuidam articulo, quem posuerant DC & XXX Episcopi, atque etiam effecit, ut articulus ille omitteretur. Nam antequam in actis concluderetur, miserunt patres illi acta ad Leonem qui tunc sedi præerat Apostolicę, In quibus reprehendit ille articulum

Leo Papa I. contradixit Concilio.

Ambitio.

de sedibus Patriarcharum, qui ambitionis laborabat uitio, ubi patres ad complacendum Imp. Martiano statuerant, ut Constantinopolitanus Patriarcha præferretur Alexandrino, quod erat contra antiquos Canones. Attamen postea per nimiam Imperatorum instantiam obtinuit tandem Constantinopolitana sedes secundum, & post Romanam proximum locum.

XXVIII. Etiam si angelus de cœlo ueniret, non paterentur eum contradicere ipsis, neq; audirent uel innumeros Paphnutios.

CO. Hoc non est uerum, neq; id Bulla Indictionis habendi Concilij continet, nec factũ est antea unquam. Nemini enim prohibitum est, in Conciliis de causa fidei scripturas & rationes proponere, cum fides tangat omnes, sicut ait ad Michaelem Imp. Nicolaus Papa I. Quod autem Lutherus aliiq; hæretici extra Concilij congregationem

Dist. 96. c. Vbinã.

gationem Canones & Decreta etiam antiquissimorum Conciliorũ repræhendere præsumunt ac temerarie reijciunt, hoc certe contra omnem scripturam & contra omne ius faciunt, Quandoquidem Paulus Apostolus (De quo arroganter cõtra Ecclesiam iactitant sese) pręcepit ac docuit in omnibus Ecclesijs custodire pręcepta Apostolorum & seniorum quæ Hierosolymis in Concilio constituta erant, sicut habetur Act.15.& 16.

XXIX. In Concilio Niceno resistebat unicus Paphnutius toti Concilio, & propter hoc non comburebatur sed laudabatur.

CO. Si Lutherus imitaretur Paphnutium, laudaretur & ipse. At longe aliter agit. Paphnutius erat sanctus Episcopus & Confessor, qui in persecutione Maximini Imp. graue passus est martyrium propter nomen Christi, qui effosso sibi oculo dextro, succiso *Paphnutius.*

etiam ſiniſtro poplite, ad metalla fodienda damnatus fuerat, Qui & in miraculis tanta gratia coruſcabat, ut uel Apoſtolis poſſet pene par uideri, continentiæ gloria celebris, & omni uirtute conſpicuus, Ideo & apud potentiſsimum Imper. Conſtan. in tanta ueneratione erat, ut euocatus in Palatium ab eo complecteretur, & euulſus ille oculus auidioribus eius oſculis demulceretur, Quid uero in Luthero eſt, quod huius Paphnutij uirtutibus conferri queat? nonne ſpurcitijs & impietatibus fœdus eſt à uertice totus uſque ad plantas? Neq; in hoc facto, quod obijcit, Paphnutio ſimilis eſt. Ille enim in conſultatione duntaxat, antequam concluſio fieret, aliorum diſſuaſit ſententiam, Lutherus autem uel antiquiſſima & tot ſæculis approbata per omnes Eccleſias Conciliorum decreta conuellere ac reprobare præſumit, conuiciator & calumniator ſanctorum

Luth. maxime diſsimilis Paphnutio.

rum sceleratissimus.

XXX. In Concilio Constantiensi Duo erant Paphnutij, qui scripturis instructi resistebant Concilio. At non laudabantur, sed comburebantur.

CO. Iohannes Hus et Hieronymus de Praga, cum fuerint pertinaces & obstinati hæretici, traditi sunt à Concilio potestati sæculari, quæ eos iuxta leges & consuetudines, secundum Iuris ordinem igni adiudicauit, Paphnutio nulla uirtute cōparandi. Certe ille met Hieronymus paulò antea Hussi doctrinam publice damnauerat & abiurauerat, Quam postea humano pudore uictus iterum asseruit. Ideo iure damnatus fuit. Nam & Lutherus ipse Bohemorum discidiū publice damnauit, in suis epistolæ ad Galatas commentarijs & in Disputatione Lipsica, dixitq; illud Iuri diuino & omnibus legibus contrarium esse, eo quod sit

Hiero. de Praga.

contra charitatem. In qua omnes leges summantur.

EPILOGVS.

Hęc sint breuiter dicta cōtra XXX Propositiones Lutheri, quas Vuittenbergę contra sacrorum Conciliorum autoritatem disputauit, Vnde quilibet, cui cordi est suæ salus animæ) facile cognoscet quanto satius tutiusq; sit credere & adhærere XXX Testimonijs, quæ ex scripturis & alijs probatæ autoritatis scriptis excerpta & supra breuiter commemorata sunt, quàm XXX propositionibus Lutheri, quæ neq; in scripturis neq; in ratione aut ulla probabili autoritati fundatæ sunt.

Lutherani fugiunt lucē Concilij.

Prouocauerunt quidem Lutherani in Conuentu publico persæpe magno cū fastu & elatione animi ad Generale Concilium: Vbi autem uident rem nunc serio tractari. Concilijs detrahunt, male sibi conscij. Ideo lucem in

In publico fugiunt, Iuxta illud saluatoris, Ioh. 3. Omnis qui male agit, odit lucem. Misereatur Deus simplicium & rectorum corde, qui cupiunt & ueritati assistere, & in Ecclesiæ unitate permanere aut esse, ut liberati ab omni fraude, errore & impietate, læti & securi dicant cum Psalmista, Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in unum. Psal. 132.

DE AVTORITATE

& potestate Concilij Generalis LXX Propositiones Iohannis Cochlæi.

POst Christum non est maior super terram autoritas & potestas quam est Apostolicæ sedis S. Petri & Generalis Concilij.

2. Christus enim Petro præ omnibus alijs claues regnum cœlorũ promisit, Matth. 16.

3. Præ

3. Præ omnibus quoque alijs commisit ei tandem oues suas pascendas, dicens, Simon Iohannis diligis me, plus his. Ioh. 21.

Nota plus his,

4. Cæteri quoque Apostoli Petrum post Christũ semper pro supremo habuerunt, Quemadmodũ Actus Apostolorum in plærisque locis attestantur.

Act. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 15.

5. Hinc sequitur, eos, qui Petri sedem contemnunt, claues quoque, quas Christus Petro promisit ac dedit, contemnere.

6. Quisquis autem huiusmodi claues contemnit, is & Christi, qui eas tradit, autoritatem ac potestatem contemnit.

7. Et ad ouile atque ad gregem Christi nequaquam pertinet talis, quia non audit uocem pastoris, quem Christus constituit, & oues suas pascere iussit.

8. Quare non poterit talis in extremo iudicio consistere inter oues ad dexteram, sed stabit ad sinistram inter

hædos,

hædos, æternæ damnationi obnoxius Matth.25.

9. Neq; pro Christiano haberi potest is qui generale Concilium contemnit.

10. In eo enim supremum retinet locum successor Petri cum plena clauium potestate.

11. Et Christus ipse dixit, Si ecclesiam non audit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Matth.18.

12. Quapropter qui Generale Concilium contemnit, is quoq; contemnit ipsum met Christum, qui in medio Concilij, in nomine suo congregati, existit. Ibidem.

13. Contemnit & spiritũ sanctum, quem Christus Ecclesiæ promisit, ut cum ea maneat in æternum, Ioh.14.

14. Ei autem, qui peccat in spiritum sanctum, non remittetur peccatum, neq; in hoc sæculo neque in futuro, Matth.12.

15. Neq;

15. Neq; Christi membrum esse potest, quicunq; in Generali Concilio Ecclesiam non uult audire, Ipsa enim est corpus Christi. Ephe. 1.

16. Vult item maior esse Apostolo Paulo, qui se humiliter submisit Concilio Hierosolymis Act. 15.

17. Facit præterea contra ordinatione Dei, dum superiori potestati, Concilij uidelicet (quam agnoscit ac ueneratur omnis Christianorum potestas) resistit, & damnationem sibi acquirit. Ro. 13.

In Auc. Colla. 9. Consti. 6. 18. Sed & Imperialibus resistit legibus, quæ præcipiunt. Quatuor prima Concilia acceptanda esse perinde atq; Quatuor Euangelia.

19. Incidit insuper in graue crimen Inobedientiæ, quod assimilatur crimini Idolatriæ 1. Reg. 15.

20. Est & diffidentiæ filius, super quem uenit ira Dei, dum Christo & spiritui sancto (qui in medio Concilij sunt)

ſunt) fidere non uult. Epheſ. 5.

21. Quare contemnendus eſt talis, tanquam Ethnicus & Publicanus, dum ipſe Eccleſiam, à Concilio repræſentatam, contemnit. Matth. 18.

22. Quomodo enim talis pro uero Chriſtiano haberi queat, cũ ipſe Chriſtum & ſpiritum ſanctum qui in medio Concilij ſunt, contemnat, arguat mendacij, pedibusq; conculcet?

23. Neq; item de ſacra ſcriptura uere gloriari, aut confidere poteſt: Cum tot ſcripturæ loci (ut dictum eſt) Concilia (quæ ipſe contemnit) approbent atq; confirment.

24. Quin imo conatur, uelut Antichriſtus, Chriſtus æternam ueritatem, mendacem facere in tam multis Euangelij ſui promiſsionibus.

25. Dicimus igitur cum S. Auguſtino. Inſolentiſsimæ eſſe inſanię Generalium Conciliorum autoritatem ac poteſtatem contemnere. *Aug. ad Ianua. Epiſt. 118.*

C. de summa Trini. lib. 3. 26. Quinetiam talis, qui Concilia spernit, iure ac merito est in Excommunicatione summi Pontificis & in Banno Imperiali.

In Anc. Col. 8. Cōstitu. 12. 27. Neq; ullo dignus est honore, sed infamis est, Cui secundum leges omnes dignitatum portæ clausæ sunt, & nulla competit hæreditas.

28. Neq; releuat eum dictum istud. Oportet Deo magis obædire quàm

Act. 5. hominibus. In Concilio enim potius Christo & spiritui sancto obæditur quàm hominibus.

29. Quamuis autem in huiusmodi congregatione homines sint. Ex multiplici tamen scripturæ testimonio magis credendum est, quod ex diuino instinctu quàm ex humana opinione aut coniectura decernant.

30. Christus enim clare dicit. Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Matthæi 10.

31. Cuius

31. Cuius ſane rei probatum habe- Act.15.
mus exemplum in ſcriptura de primo Concilio, cuius decretum ſic incipit, Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis.

32. Si enim huiuſmodi Decreta potius humana quàm diuina eſſe cenſerentur, pluris fierent homines quàm Chriſtus et ſpiritus ſanctus qui in medio Concilij ſunt.

33. Forent itaq; ibi fruſtra Chriſtus & ſpiritus ſanctus ſi nullam haberent in Concilio per inſtinctum diuinum operationem.

34. Multæ quoq; Chriſti in Euangelio promiſsiones inanes forent & falſæ, quæ ſunt Concilio & Eccleſiæ de ipſo & de ſpiritu ſancto factæ.

35. Quare Conciliorũ Canones & Decreta, nõ pro humanis ad inuentionibus, ſed pro operibus et inſpirationibus ſancti ſpiritus, haberi debent.

36. Hoc probe ſciens Imperator Iu- In Autr.
ſtin. dixit, quod leges non dedignen- Colla. 6.
tur Conſti. 22.

tur ſequi Canones: quos proinde ſacras & diuinas uocauit regulas.

37. Et adhuc melius ſciuit hoc S. Paulus, qui ad Theſſalonicenſes ſcribens ait, Cum accepiſſetis à nobis uerbum auditus Dei, accepiſtis illud, non ut uerbum hominum, ſed ſicut eſt uere uerbum Dei.

38. Ideo ij, qui Generalium Conciliorum Canones reijciunt, filij ſunt incredulitatis diffidentiæq; & deſperationis, quia non credunt neq; confidunt Chriſto & ſpiritui ſancto in medio Concilij præſentibus.

39. Neque ueraciter credunt ſacræ ſcripturę, in qua tam multiplicia reperiuntur de poteſtate & autoritate Conciliorum, teſtimonia.

40. Neq; iuuat eos, quod clamant & ſcribunt, Concilia Generalia ſæpe ſibi inuicem eſſe contraria. Hoc enim non eſt uerum.

41. Quemadmodum Otto Brunfelſius,

felſius, lingua calamoq́ blaſphæmus, impie dicebat. Quatuor Euangelia ſic eſſe ſibi inuicem contraria, ut nulla ratione concordari poſsint, quicquid dicat Auguſtinus. Otto Brũfelſius in proble. 1.

42. Quamuis enim quędam Decreta, ſecundum literam ſibi inuicem contraria eſſe uideantur: ſecundum ſpiritum tamen & uerum ſenſum contraria non ſunt.

43. Si enim conſyderentur cauſæ, tempora, perſonæ, loca &c. quæ diuerſa ſunt, facile comperitur, quod talia decreta, quæ ſecundũ literam contrarie ſonant, ſecundum prædictarum circumſtantiarum diuerſitatem, bene & rationabiliter poſita fuerint.

44. Cuius rei exemplum habemus in primo ſane Cõcilio Hieroſolymis, ubi Apoſtoli & ſeniores præcipiebant fratribus ex gentibus, ut abſtinerent à ſanguine & à ſuffocato.

45. Quod utiq́ eo tempore æquũ

ac necessarium (teste scriptura) erat, Nunc uero multisq; ante nos sæculis aliter obseruatum est, quia causa illius decreti desijt & cessauit.

Hilar. In lib. de synodis. In fin.

46. Quemadmodum & Hilarius scribit, quod Concilium quoddam in Antiochia noluit recipere hanc uocem Homousion, quod postea recepit & approbauit Concilium Nicenum, magnum illud & sacratissimum.

Vide hist. eccle. lib. 7. c. 25.

47. Ambo tamē recte egerunt. Antiochenum nanq; eam uocem reiecit, propter hæresim Pauli Samosateni, qui Christum purum hominē esse dicebat. Homousion nobis, sicut quilibet homo est. In eo igitur sensu reiecit uocem istam Concilium illud.

48. Arrius autem, cum nollet confiteri. Christum unius & eiusdem naturæ esse cum Deo patre, damnatus est, et contra hanc eius heresim dixit Nicenum Concilium Christum Homousion patri.

49. Est

49. Est igitur in spiritum sanctum blasphæmia (qui in Concilijs regit & inspirat) quando dicitur, quod Concilia sępe sibi inuicem contraria fuerint. Ipse enim pacis, non dissensionis est Deus 1.Cor.14.

50. Quorum autem aliqui dicunt, Concilium non habere autoritatem aut potestatẽ statuendi, aliquid, quod in sacris literis non sit contentum, neque hoc uerum est.

51. Nam mox in primo Apostolorum & seniorum Concilio contrarium reperitur, Ibi enim statutum fuit, Act. 15. ut abstinerent fideles à sanguine & à suffocato. Quod certe neq; in Euangelio neq; in ulla noui Testamẽti scriptura continetur aut positum est.

52. Manifestum quoque est, quod multa obseruantur et creduntur in Ecclesia Catholica, quę in sacris literis nõ commemorantur aut continentur.

53. Quis enim ignorat, nos teneri

ad credendum, quod Christus sit patri Homousius aut Consubstantialis, iuxta Niceni Concilij decretum, Et tamen uerba ista in scripturis nusquam sunt expressa.

Luth. contra Iacobum Latomum. 54. Idcirco iuste damnatur de hoc Lutherus, Arrianos in hoc laudans, quod reijciebant Homousion, dicens scelerato mendacio, quod multi sancti patres, atque etiam S. Hieronymus, noluerunt hanc uocem recipere.

55. Tenemur itē credere, quod sunt Tres personæ in una diuina essentia, quod Maria Dei genitrix post partum uirgo permansit, quod duæ sunt naturæ in una persona Christi, Hi tamen articuli fidei non sunt ita in scripturis expresi.

Luc. 10. 56. Christus non alligauit nos ad scriptum Euangelium, ut nihil aliud credamus, sed præcepit nobis audire ipsius discipulos & Ecclesiam.

2. Thes. 2. 57. Similiter testificatur & Paulus, non

non omnia esse scripta, Ait enim. Itaque fratres state & tenete traditiones quas didicistis siue per sermonem siue per epistolam nostram.

58. Si ergo Pauli doctrina (qui inter Apostolos plus omnibus laborauit & scripsit) non tota in scriptis continetur: quanto minus aliorum Apostolorum (qui aut nihil aut parum in scriptis nobis reliquerunt) doctrina est tota in sacris literis contenta?

59. Ideo Ecclesiæ ordinationes & Ceremoniæ, quæ in scripturis non continentur, nequaquam sunt reijcienda, tanquam adinuentiones humanæ, sed religiose obseruandæ, tanquam constitutiones diuinæ, per Apostolos & sanctos patres diuino instinctu introductæ.

60. Omnes enim huiusmodi ordinationes & consuetudines institutæ sunt uel ab Apostolis uel à plenarijs (ut ait Augustinus) Concilijs, quorũ saluber- Aug. ad Ian. epist. 118.

saluberrima est in Ecclesia autoritas.

61. Cum igitur unusquisque Christianorũ suo teneatur obædire Episcopo aut Præposito in causis Ecclesiasticis, uti præcipit Apostolus Heb. 13:

62. Quanto magis tenetur unusquisque obædire summo Pontifici (cui & ipsi Episcopi subditi esse debent) tanquam supremo in terris pastori & Vicario Christi:

63. Et adhuc amplius Vniuersali Ecclesiæ in Generali Concilio, in quo & Ro. Pontifex membrum (licet summum ac uelut caput) esse reperitur.

64. Quamuis enim nõ possunt omnes Christiani in proprijs personis ad generale Conciliũ congregari: omnes tamen ibi sunt uirtualiter in pleno mandato suorum superiorum, qui tenentur pro eis respondere & rationem reddere, ut ait Apostolus Heb. 13.

65. Quanquam uero Hæretici ad sacram prouocant scripturam, nequa-

quam tamen credendum eſt, eos meliorem habere ſcripturę intelligentiam quàm habeat generale Concilium.

66. Concilium enim Generale multa habet pro ſe ſcripturæ teſtimonia, tum de Chriſto, tum de ſpiritu ueritatis. Hæretici uero ne unum quidem Iota ſcripturę habent pro ſe, ſed totam ſcripturam contra ſe.

67. Quapropter in ſenſu quoq; & expoſitione ſcripturę (de qua inter Catholicos & hæreticos contentio eſt) longe magis Eccleſiæ quàm hæreticis immo ſoli Eccleſiæ & membris eius, hæreticis uero nequaquam, credendum eſt.

68. Ambæ nanq; clauis, poteſtatis uidelicet & ſcientiæ, in Euangelio traditæ ſunt Petro & Eccleſiæ non Luthero aut ulli alteri hæretico.

69. Quiſquis aut ſcientia inflatus, plus uult ſcire & ſapere quàm ſcit & ſapit Catholica Eccleſia, is abſq; charitate

Iob. 41. tate est & filius superbie, Cuius Rex Diabolus est, qui in libro Iob Behemoth & Leuiathan dicitur.

1. Tim. 6. 70. Recte igitur ait Apostolus. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas uerborum. Ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, &c.

ERRATVLA MI LECtor sic corrige.

Fol.3.pag.6.lin.8.Nouæ.Fol.4.pag.7. lin.6. etiam.Fol.5.pag.9.lin.2.ut.Fol.6.pag.11.lin.7. etiam.Ead.pag.lin.15. Deuteronomio. Fol. 10. pag.2.lin.15.quoq;.Fol.12.pag. 8.lin.6.insinuata.Ead.pag. lin. 21. Secundum. Fol.17. pag.2. lin.1.Imperio.Fol.19.pag.6.lin.2.Vercellenses. Fol.23.pag.13. lin.19. saluatoris. Ead.fol.pag. 14.lin.5.profecto. Fol.24.pag.15. lin.14.murus.

Paulus ad Ro.16.cap.

Deus autem pacis conterat Sathanam ſub pedibus ueſtris uelociter.

MOGVNTIAE AD D. VICTOREM EXCV-
debat Franciſcus Behem.
1546.